



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt II. Leges ad Clerum reformandum à Cæsare in Comitii promulgatæ.  
Legatio Bononiensis Montano comissa. Articuli de translationis causa  
propositi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11665**

fisset confilia, sibi ab omnibus insinuata, quibus iam tum aut Placentiam recuperasset, aut certè Parmam eiusque ditionem extra periculum collocasset.

1548.

9 Post huiusmodi colloquium Pontifex Bertanum misit. At verò Suavis sui commenti operà audet ea coniungere, quæ in aliorum monumentis coniuncta non sunt. Dicit, Bertanum missum fuisse ob leges quasdam à Cæsare propositas Comitibus die 14. Iunij, ad Ordinem Ecclesiasticum reformandum; cum reuerà Bertanus Nuntij munere functurus, die nono Româ discesserit. Impositum Nuntio fuit, ut de cunctis capitibus, quæ Mendoza significarat, cum Cæsare ageret; ac potissimum specularetur, num locus foret Præfulum missioni, quam Cæsar petierat, cum dignitate ac fructu; cum Legatorum munus non magis in linguæ quàm in oculorum opera fitum sit, nec magis in iis exponendis quæ à suis Principibus demandantur, quàm in iis quæ à se visa sunt, ad eosdem Principes referendis.

p Litteræ Farnesij ad Poggiana, 13. Iunij: & Diarium Massarelli die 17. vbi apparet, eod. die Nuntium Bononiâ transisse.

## C A P V T II.

*Leges ad Clerum reformandum à Cæsare in Comitibus promulgatæ.*

*Legatio Bononiensis Montano commissa. Articuli de translationis causa propositi.*

1 C Arolus ad motis iam manibus negotio Religionis, in eo conuentu rem à se perfici posse speravit, & quamdam Ecclesiasticæ<sup>a</sup> disciplinæ correctionem proposuit: quæ ea planè est, quam supra indicauimus à Suau commémoratam, quæque ab eo tamquam optima commendatur; simulque adicitur, eandem Romæ non displicuisse, nisi ex eo, quòd absque Pontificis auctoritate confecta esset, ei que relaxandarum legum vsu coarctabat. Re ipsà veritas quasi flamma quædam est, quæ vtcumque recondere sinu studeas, per os tamen translucet. Hanc disciplinæ emendationem affirmat Suavis fuisse sanctissimam, & ex altera parte Romæ non displicuisse, nisi quatenus Princeps laicus in rebus Religionis & supra Sedem Apostolicam exercebat potestatem. Igitur Romæ sententia tyrannica non sunt, nec bono publico perniciofa, quod Suauiani voluminis scopus est: sed probantur Romæ leges optimæ, dummodo pulchro corpori haud desit anima, quæ in legibus legitima potestas est. Et sanè quia huiusmodi defuit anima, ea Cæsarea sanctio, quamquam postea simul cum *Interim* promulgata fuisset secunda Iulij in recessu Comitiorum, fuit veluti partus emortuus, adeoque ita ut numquam viueret nata est.

a 14. Iunij, vt in Diario,

Z 3

Conti-

1548.

<sup>b</sup> Ex Diario,  
26. Iunii.<sup>c</sup> Ex Diario,  
20. Iunii, &  
ex litteris  
Farnesij ad  
Cerinum,  
23. Iunii;  
& ex Actis  
Consistor.  
23. Iulij.  
<sup>d</sup> Ex Diario,  
16. Iulij.  
<sup>e</sup> Litteræ  
Cerinij ad  
Moronum,  
4. Iunii, &  
6. Iulij  
1548. &  
Massatelli  
Bononiæ ad  
Cerinum,  
19. Maij, &  
20. Iunii, ex  
Commenta-  
riis Cerinor-  
um.<sup>f</sup> Diarium,  
29. Iunii.

Contigit interim, quemadmodum passim increbuit fama, vt Gallici Cardinales, quorum operâ foedus inter Regem ac Pontificem ad defensionem mutuam agitabatur, Paulo proponerent, <sup>b</sup> in rem non esse, quod in tanta auctoritate ac vicinitate Moronus perstaret, Cæsari & ortu & affectu obnoxius. Quamobrem induxit Pontifex animum, vt illi sufficeret in legatione Bononiensi Montanum Cardinalem, eò in Gallos propentiorum, quò durius habitum à Casarianis; eademque operâ fiebat, vt per eam accessionem prouentus, <sup>c</sup> supra ea quæ ipsi pendebantur ex legatione Concilij, compensaretur iactura reddituum Papiensium, quos ei Gonzaga interceperat. Verùm quò subsidium aliquod Morono suppeditaretur, quod simul esset rei benè gestæ luculentum testimonium, <sup>d</sup> portionem aliquam prouentuum, quos Concilij legatio Montano conferebat, & aliquam etiam ex iis fructibus Pontificiæ, vt vocant, *Datarie* eidem Morono attribuit. Quin reuerà hic veniam deponendi muneris petierat: & Pontifex, <sup>e</sup> (siue id verum fuerit, siue obtenderit suauitatis gratiâ, euitandæque offensionis studio) negavit illud fuisse postulatum à Gallis, & eiusdem in gesto Magistratu operâ collaudatâ, se festinasse professus est, vt successori Papiensem iacturam compensaret. Moronus verò non mediocrem præ se tulit lætitiâ, quòd voti compos iam esset, vel ex animo, vel quia in ictibus huiusmodi, aduersus quàm in plagis corporis, qui se vulneratum fatetur, malum auget; qui se intactum simulat, minuit.

Non modicam inferebat Pontifici sollicitudinem translationis causa: nolebat enim vel intempestiuâ sectione illam potius exulcerare, quàm decidere, vel quasi per ignauiam metumque in silencio destituere. Quare vt eam agitaram haberet, possetque honestius, quandocumque liberet, absoluere, curauit, vt à delectis Cardinalibus in quindecim capita eius cognitio partiretur: <sup>f</sup> quorum singulis, constat ex Actis, doctissimè fuisse responsum à Patribus, qui Bononiâ aduenerant. De his & ceteris omnibus inter Pontificem eorumque Tridentinum agitatis, quæ summatim recensēbimus, nullam Suavis notitiâ præ se fert. Nos planè hîc omitemus minutim referre ea capita, adiectasque eorum singulis rationes, vt à lectoribus eam molestiam arceamus, quam afferunt disputationes probationesque earum rerum, quæ disputationem respuunt, & probatione non indigent; cum in quæstionem trahi non possit, licet Oecumenicæ Synodo cum duabus tertiis suffragiorum partibus, cum auctoritate Legatorum, peculiarem ad id facultatem à Pontifice obtinentium, cum iteratis consiliis, cum iurato peritorum hominum

minum testimonio, & ob imminens cunctisq̄ue notum vitæ periculum, ex vno in alterum locum commigrare; quod exemplis recentibus tum Concilij Papiensis sub Martino, tum Ferrariensis sub Eugenio confirmabatur. Quapropter Cæsar ipse, intelligens causam sustineri non posse, illam perpetuo suppressere somno studebat, ne eandem cerneret decretâ adeoque inhonestâ morte occumbentem. Proposuit igitur Bertano, ne per sex menses ea lis ageretur, atque interim Concilio supersederent, & missis in Germaniam seu minoribus Præsulibus, seu Purpuratis, cum facultatibus aliis expositis. Pontifex verò, Episcopis ex omni natione Romam accersitis, morum emendationem constitueret.

1548.

g Diarium,  
1. Augusti  
1548.

4 Huiusmodi responso accepto, Montanus censuit rem esse conficiendam. Etenim nisi aliqua ratio excogitaretur, quâ posset cum dignitate recedi, Cæsar adeò processerat, vt opus foret cum illo, quasi per quamdam monomachia speciem congregari: in quo præter publicam offensionem, periculum etiam extitisset (amissâ iam oportunitate ea peragendi quæ primus translationis æstus ferebat) quò plenius Cæsari satisfaceret, facultates excipiendi reconciliandique hæreticos, & schismaticos amplissimas concedendas, supra quam vîquam à quocumque Pontifice concessæ fuissent, quidquid seuerior cautio quorundam Theologorum opponeret. Sed præter eas, aiebat ille, tunc à Cæsare quasdam alias facultates peti numquam vsurpatas, inter quas erant quæ certè delegari non possent, vtpote Iure Diuino soli Pontifici reseruata: eas quidem concedere non licere, sed neque eas negare tutum esse tam feruido tamque valido petitori. Proinde fatius esse, rem committi iudicio Præsulum, qui ad formandas disciplinae leges erant vndique conuocandi, quorum consilio repulsa & venerabilior & tolerabilior redderetur.

b Litteræ  
Montani ad  
Ceruinum,  
14. & 25. Augusti.

5 Quod spectabat ad ministrorum missionem cum facultatibus quas diximus, existimabat, quamquam si Præsules mitterentur, minus foret dispendij, Cardinales tamen præferendos, quippe & honorificentius, & fortassis efficacius rem acturos; adeoque ad eam missionem suadebat inter illos vnum ex Concilij Legatis seligendum, ostendens id Ceruino conuenire, non sibi, quem negabat ad id muneris idoneum esse, non virtutum modò, sed virium egestate. Non tamen temeraria fortasse fuerit suspicio, eum sperasse, in se, vtpote antiquiorem, casuram electionem ad tam præclaram prouinciam, quâ Pontifici simul ac sibi posset Cæsaris benevolentiam recuperare; cum apud Principes in more sit, ad sustentandam promouen-

1548. mouendamque ministrorum fidem, velle vt is reconciliationis sequester sit, qui ob fidem ac studium fuerat offensionis administer. Verum de causa translationis ille frequenter monuit; vt si tractatio cum Cæsare protraheretur, <sup>1</sup> ne absque decisione ea causa penderet, vel saltem absque occulta Pontificis declaratione, solis Legatis patefacta; ne, si vacaret interim Sedes, Cæsari superesset vlla tituli species, affirmandi Concilium Tridenti persistere, & ad ipsum Pontificis electionem pertinere: quod tamen consilium perfici non poterat, nisi per inaccessum arcanum, ne Cæsar irritaretur ad prouocationem prosequendam, quam suo nomine Mendoza interposuerat (& cuius confirmandæ potestatem fuisse illi traditam exploratum erat, ita tamen <sup>\*</sup> vt nonnisi in quibusdam conditionibus eâ uteretur) & res in schisma prorumperet. Sed de hoc postremo consilio infra loquemur.

*† Litteræ Montani ad Ceruinum, 1 Nouembrii 1548. & 14. Aprilis, & 8. Iunij 1549.*

*‡ Constat ex litteris Farnesij ad Nuntium Gallie, in volumine Burghesiorum, cui titulus est: Paulus III. Littera Farnesij Cardinalis. Vltimo Augusti, vt in Actis Constitto.*

Quod spectat ad aliam consilij partem, eò Pontifex propendit, vt Cæsari per delegationem, quam optauerat, satisfaceret; sed in eo firmus, quod illi per Sanctacrucium significarat, Præsules, non Purpuratos elegit: <sup>1</sup> fortassis etiam, ne cogeretur altè Madruccium offendere, ipso posthabito. Itaque designauit Bertanum tunc ibi Nuntium, Lippomanum Veronensis adiutorem, & Pighinum, ad Ferrentinatem Ecclesiam paulò antè translatum; qui duo inter eos erant, quos ad propugnandam translationem Synodus Romanæ legarat.

Hic verò Suavis grauius labitur, dum narrat, Nuntios haud missos à Pontifice cum facultatibus quas Cæsar flagitarat, hoc est, confirmandi saltem ex parte quæ ipse statuerat in Comitibus, sed cum aliis, Pontificis dignitati opportunis, videlicet, amplissimas venias absolutionesque indulgendi, quippe ad eius auctoritatem in illis regionibus sustinendam maximè accommodatas. Ignorauit ille, huiusmodi amplissimas facultates iteratis Cæsaris petitionibus fuisse impetratas, qui tredecim capitibus distributas postulauit; & hac in re inter Pontificis Consiliarios variasse sententias, reputantes, non aliunde magis eleuari prohibitionum reuerentiam, & horrorem scelerum, quam ex remissionum facilitate, quæ beneficium in maleficio penè conuertunt: quidquid autem indulgeretur aberrantibus, vt in viam reducerentur, iustitiæ nomine postulatum iri ab iis, qui ne vestigium quidem deflexerant. Quare tamen Romano in cœtu plerique tandem ad benigniora deuenierint, vt tanta perditorum multitudo ad bonam frugem quâcumque ratione alliceretur; tamen non modò nihil profusum est per prodigentiam sponte

exet-

exercitam ad obsequij aucupium; sed in duobus capitibus ex tredecim, pro quibus Cæsar institerat, Nuntiis denegata facultas est. Hæc fuerunt, ne aut Religiosis professis per vllum laxamentum permitterent coniugium; de quo obseruatum fuerat, <sup>m</sup> plurimorum sæculorum spatio quatuor dumtaxat huiusce relaxationis, professis Religiosis factæ, exempla reperta, ex iis verò tres post susceptos liberos ad cellam reuerfos: aut sinerent Ecclesiarum fundos, à laicis iam occupatos, retineri. Pollicitus tamen est Pontifex, se in vtroque capite clementer acturum, vbi in peculiaribus rerum conditionibus honestam causam agnosceret. Nec solum de his facultatibus Cæsariani conquesti non sunt, prout Suauis affirmat; sed Bruxellis cum lætitiæ exceptæ fuere, sicuti Farnesius significauit Hieronymo à Correggio, in mandatis paulò post ad illum missis, <sup>n</sup> cum ad Cæsarem suo nomine, rei Placentinæ causâ, ipsum legauit. Idem quoque luculenter testantur litteræ Pighini Nuntij ad Ceruinum, <sup>o</sup> in quibus narrat, Cæsarem, eiusque ministros, recensitis facultatibus fuisse contentos, solumque cupiisse, vt Nuntij eamdem potestatem aliis delegarent, quò tolleretur suspicio, quasi spe inani lactarentur, donec Placentini negotij exitus cerneretur: & in eo pariter conuenerit.

1548.

<sup>m</sup> Mandata Nuntiis tradita extant in volumine ex citatis in Archivio Vaticano.

<sup>n</sup> Extat in Bibliotheca Ducum Vrbinatum.

<sup>o</sup> Bruxellis, 26. Ianuar. 1549. inter Commentaria Ceruinorum.

8 Verùm Suauiana interpretatio Diplomatis, quo facultates memoratæ continebantur, nos ad Historiæ seriem interrumpendam compellit. Scribit, illud Diploma multorum sermonum causam fuisse, in primis, quò haberetur in procæmio, inter urgentes Ecclesiæ turbas Pontificem solatio affectum fuisse ex promissionibus per Petri Sedem à Christo exhibitis, maximè verò, *postquam ipse Oecumenica Synodi remedium admouerat. Perinde quasi* (obseruat Suauis) *non alio Ecclesiæ fundamento niteretur, nisi Pontifice, & sexaginta Patribus Tridentinis.* Et tamen vt sexaginta illi Patres Pontificis auctoritate cogerentur, tot Comititia fuerant celebrata, tot itinera ad Reges suscepta, tot proluxæ rerum tractationes per vniuersum Christianum Orbem habitæ: & tamen illorum sexaginta Patrum Decreta ab eo collecta tantum Ecclesiam illustrarunt & confirmarunt, quantum ne ipsa quidem inuidia possit inficiari: & tamen ea Christianorum pars, quæ noluit in ipso, & in illis sexaginta Patribus in niti, Ecclesiam conflauit adeò discordem, adeò deformem, adeò belluis confimilem, vt vnicuique videre licet. Si Christo ars fuit, per paucos piscatores Orbem terrarum, idolorum cultorem, ab impia superstitione ad Fidem reuocandi; certè ars ipsi non defuit, per sexaginta Episcopos Christianum Orbem ad meliorem frugem reducendi.

Pars II.

A a

ducendi.

1548.

ducendi. Quin etiam, amotâ quacumque Dei supra naturæ ordinem molitione, in profanis pariter principatibus paucorum capitibus pendet populorum innumerabilium seu tranquillitas seu perturbatio.

Dein adiicit, Ingenti fuisse arrogantiae adscriptam facultatem, Reges ac Principes ad honores, ad famam, ad dignitatem pristinam reuocandi. De hoc argumento haud equidem hinc disputandum puto. Reuoluantur Historiæ Ecclesiasticæ, consulantur Theologi, Canonumque periti.

Pergit narrare, Contradictionem fuisse obseruatam in potestate fideles absoluendi à iuramentis illicitis, cum hac absolutione illi non egeant. Par etiam fuerat, ut censores isti repugnantiae notam inuenerent Iudicum sententiis, quando hominem criminis accusatum hi tamquam innocentem absoluunt: siquidem innocens nullo criminis, luendæque noxæ vinculo ligatur, à quo absoluitur oporteat. Vnicuique in promptu responsio erit, ipsam sententiam, quæ accusatus declaratur innocens, absolutionem vocari. Ita pariter cum per legitimam potestatem declaratur, opus iureiurando promissum esse illicitum, per idipsum soluitur iusiurandum. Præterquam quod interdum etiam ex hominibus iuramenta extorquentur iniuriâ, hoc est fraude, vel minis; quorum obseruatio cum sit licita ex parte iurantis, ad eam præstandam obstringitur apud Deum, quippe testem ab homine suæ promissionis appellatum: sed æquitas postulat, ut eo nexu ab illo qui Dei locum obtinet, homo soluitur.

Ineptius est quod de altera contradictione Suauis subdit, quæ continebatur in concessione calicis, ad eos coarctata, qui credunt Ecclesiam non errare, dum eundem calicem laicis negat: *Quo enim pacto, inquit ille, fieri posset, ut quispiam crederet, & postularet huiusmodi prohibitionem dissolui? Nimirum eadem ratione quicumque alicuius legis relaxationem à Principe postulat, cum tacite arguit erroris in ea lege sancienda. Quicumque priuilegium petit, vel ut in priuata sua domo sacrificium celebretur, vel ut ante præscriptam ætatem sacros Ordines suscipere possit, existimet necesse est, in huiusmodi prohibitionibus Ecclesiam deerrasse.* Enimuerò Dialecticam vsque ad Suauis ætatem ignoratam! Quænam interuenit repugnantia ex vna parte, in credendo Ecclesiam non errare, dum hæc vniuersè prohibet; & ex altera, in petendo peculiari quodam legis laxamento, quo alicuius hominis vel prouinciæ pietati propensionique satisfiat?

Postea quasi summè ridiculariam depingit conditionem, quæ præscripta fuit in absoluendis cœnobitis, qui claustra sui Ordinis deseruif-

1548.

deferuissent, nimirum, vt religiosâ veste interiùs amicirentur; *Perinde ac si*, inquit, *regnum Dei quidam esset habitus, seu vestimenti forma: quæ si palàm non appareret, saltem necesse foret vt clam interiùs gestaretur.* Hæreticorum mos est, hanc vestium colorumque distinctionem deridere, perinde quasi in profano pariter Principatu ea cum fructu ac dignitate neutiquam vsurparetur; & quasi vestis ipsa luculentum ac perpetuum monumentum non esset, tum gerentibus tum spectantibus, propriæ cuiusque professionis. Quod si secùs, cur inter omnes hominum nationes conuenit virilium muliebrumque indumentorum discrimen? Iam verò quando agebatur, vt transfugæ ad Ecclesiæ gremium suauiter reducerentur; quò humanæ imbecillitati consultum foret, indulgebatur Regularibus apostatis, vt neque nexibus, qui sibi visi fuerant intolerabiles, denuò sese obstringerent, neque admissi iam sceleris publicam quodammodò exprobrationem induerent: adeoque exigebatur, vt occultam quamdam afflictationem obiurgationemque secum ferrent in huiusmodi habitu & colore, qui quotidie ab ipsis & surgente & cadente luce conspiceretur. Quisquis hoc deridiculo habebat, satis comprobabat id quod Sapiens de risu domicilio nos edocet.

13 Risum potius meretur Suauis, qui narrat id quod ignorat. Exemplo sint quæ hîc subiicit: *Quamquam festinè fuissent Nuntij designati; eorum tamen profectio in annum proximum dilata est, eò quod Cæsari haud placuerat ratio in mandatis appositâ ipsi assistendi, eiusque sanctionibus auctoritatem impertiendi.* Et tamen mox perspicient nostri lectores, Nuntios confestim Româ profectos; Pighinum verò Bononiâ transfuisse non serius quàm decimo septimo à sui designatione die; eiusque litteræ extant paulò post in Germaniâ conscriptæ: discrepantia verò promissarum facultatum post Nuntiorum aduentum orta, non ex causa à Suauis probata, sed ex alia, quàm palàm faciemus, extitit.

¶ Apparet ex iis, quæ in margine citabuntur.

14 Ad rerum ordinem redeamus. Peractâ ex voto Cæsaris Nuntiorum missione, duo reliqua per Bertanum à Carolo postulata difficiliùs perfici poterant. Suspensioni non perinde Rex Galliæ assentiebatur, ac eam ipsius Oratores Bononiæ suaserant; cum ei videretur, dum Synodus extabat, eam à Cæsare spectari quasi nubem quamdam, vnde sibi procellam formidaret, si vela ipse expanderet aurâ fortunæ potentiaque turgentia. Quin pollicitus iam Rex suos Præsules Romam mittere ad deliberandum de reparatione disciplinæ, simul apud Nuntium questus erat, Synodum in gratiam Cæsaris otari. Cui responsum fuit, Potiùs otari in gratiam pacis

¶ Litteræ Montani ad Ceruinum, 22. Septembris 1548.

¶ Diarium, 29. Septembris.



1548. concordiaëque communis, quæ in ipsius etiam Regis commodum redundabat. His itaque sensis à Rege patefactis, haud licebat Pontifici, post missos eo cunctantè Nuntios in Germaniam, cunctis illius votis obistere; sic enim & maximum fulcimentum amitteret, & simul Principes doceret, rationem pertrahendi ad sua vota Pontificem eam esse, quâ Cæsar utebatur; idque eò magis, quòd Gallus<sup>f</sup> hominem sibi à secretis ad Pontificem legarat, qui fœderis negotium vrgeret: & eâ tempestate spectatis Italiae rebus, maiori obpropinquitatem Gallus habebatur in pretio, cum iam in Subalpinam regionem descendisset, magna tunc ex parte ab eo possessam, quòd cum Rege collocuturus Ferrariæ Dux se contulerat. Pontifex verò vt Parmam in tanto rerum tumultu retineret, cum Guisio Cardinale iam eò deuenerat, vt ipse postulatam pecuniam Lugduni deponeret, aboleretque abusus iurisdictioni Ecclesiasticæ aduersantes in Prouincia, in minori Britannia, in Delphinatu, in Sabaudia, & Pedemontana ditione; hoc pacto rem etiam sacram eo fœdere promouente, adeoque declarationem sumptumque Pontificis cohonestante, qui vicissim, quòd Gallum securiorem redderet, haud recusabat beneficiarium ius in Parmæ Principatum ab Octauio in Horatium Castri Ducem, nouumque Regis generum transferre; Castri verò Ducatum aliaque per compensationem Octauio tradere. Id autem nolebat reipsa præstare, nisi post depositam Romæ à Gallia Rege pecuniam, adiunctamque simul cum ab eotum ab Heluetiis Gallo adhærentibus adstipulationem, ne prius arma Cæsaris in se prouocaret, quam vallum extruxisset. Cum igitur suspensioni Concilij, quam Cæsar expetebat, Rex obstaret, non poterat Pontifex in huiusmodi rerum conditionibus, vt alteri satisfaceret, alteri displicere. In alia verò parte, à Cæsare proposita vnâ cum suspensione, hoc est in disciplinae legibus statuendis, Cæsariani promissis minimè responderunt, sicuti palàm fiet.

Perrexerunt interim sollicitè Nuntij: & quoniam in Germania fuerat typis vulgata Germanorum Ecclesiasticorum epistola ad Pontificem pro restitutione Tridentini Concilij, & Mendozæ contestatio, quæ duplicis in Pontificem libelli speciem ostentabant; iniunctum est, vt Bononiæ typis impressæ vicissim ederentur, quasi ad preces defensionemque Synodi illuc transgressæ, responsiones illis reddita, alteri per Diploma, \* alteri in Purpuratorum Senatu: & plurima illarum exemplaria Pighino tradita, qui primus è Nuntiis in viam se dederat, vt ea opportunè distribueret, nec per ostentationem, quasi irritaret, nec per formidinem, quasi causæ diffideret.

<sup>f</sup> Diarium, 23. & 27. Augusti, & 1. Septembris.

<sup>r</sup> 12. & 16. Augusti. <sup>u</sup> Cuncta extant in litteris Farnesij ad Gallia Nuntium, an. 1548. in Archiuo Burghesiorum.

<sup>x</sup> Diarium, 18. & 23. Iulij, 3. & 4. Augusti, & clarior 19. Septemb. 1548.

16 Is Tridento iter faciens, <sup>7</sup> nactus est Hispanos Antistites, maxi-  
mo laborantes tædio ob diuturnam & inutilem commorationem in  
tam iniucunda statione, rerumque omnium indigente. Iter per Ger-  
maniam profecutus, tenuem quamdam <sup>2</sup> exterioremque speciem  
Religionis animaduertit, per vim à victoriis edictisque Cæsaris indu-  
ctam, sed animos hæreticos vt cum maximè. Proinde Sacra sine au-  
ditoribus celebrabantur, & vix erat, qui facultatum vsum à Nun-  
tiis posceret, aut illos, prout mos est, blandius exciperet. Hinc satis  
liquebat, omnem operam, præter eam quam ferrum impenderet,  
irritam casuram. At verò quod spectabat ad controuersias cum  
Cæsare de Concilio; <sup>a</sup> vbi primùm ad Aulam accessit, in spem ali-  
quam concordia venit; longeque maiorem in suis litteris <sup>b</sup> Berta-  
nus significauit, præ se ferente voluntatem Cæsare, vt Tridentini  
Præfules, certè eorum aliquot Romam adirent, morum emenda-  
tionem adiuturi. Sed difficultatem <sup>c</sup> simul offendit in Diplomati-  
bus Nuntiorum, quòd ibi facultates non pro eo ac optauerat expli-  
cabantur. Quapropter eos monuit, opus esse, vt antequam quid-  
quam agerent, Diplomata rescicerentur. Interea verò perrari erant,  
<sup>d</sup> quibuscum eorum potestas exerceretur. Volebat potissimùm Cæ-  
sar, vt per Diploma declararetur, relaxationes concedendas vim ha-  
bituras vsque ad futuri Concilij sanctionem. <sup>e</sup> Ad quod respondit  
Pontifex, Postulato se assentiri non posse; hoc enim pacto indica-  
set, Concilium auctoritate sibi antecellere, ac ius habere ratas vel  
irritas suas concessionis reddendi: satis esse Cæsari, quòd ipse pro-  
ximè superiori experimento cognouerit, haud se difficilem præ-  
buisse in complectendis, super huiusmodi rebus, Patrum sententiis,  
vsque adeò, vt ipsis facultatem tribuerit à se concessa reuocandi.  
Tandem post menses aliquot <sup>f</sup> Diplomata hoc modo fuerunt com-  
posita: In arbitrio Nuntiorum reponi <sup>g</sup> temporis contractionem,  
quo duraret permissio Eucharistia sub vtraque specie sumenda, &  
similes; ita tamen, vt ultra exitum Concilij eas impertiri non pos-  
sent: atque ita dabatur Cæsari, vt illas ad id vsque temporis Nun-  
tiis largiri liceret.

17 Sed ne his quidem permotus est Carolus, vt Tridentinos Episco-  
pos Romam mitteret. Quare augebatur in Montano suspicio, eam  
esse cohortem quamdam Tridenti detentam, vt occumbente Pon-  
tifice ingens aliquod moliretur; adeoque suum vetus consilium pro-  
mouebat, nimirum, vt Pontifex scripto legitime testaretur, causam  
translationis à se assumptam fuisse, lentiusque agitatum, ne quæ  
schismatis ansa præberetur; sed ex senij grauitate vereri se, ne causæ

1548.  
y Eius litteræ  
Tridento ad  
Ceruinum,  
1. Octobris  
1548.  
z Pighini  
litteræ ad  
Ceruinum,  
11. Octobris,  
6. Nouem-  
bris, &  
26. Decem-  
bris 1548.  
Augusta.  
a Litteræ Pi-  
ghini ad  
Ceruinum,  
13. Decem-  
bris 1548.  
b Litteræ  
Montani ad  
Ceruinum,  
14. Februarij  
1549.  
c Eadem  
Montani lit-  
teræ.  
d Diarium,  
20. Nouem-  
bris 1548.  
e Litteræ  
Montani ad  
Ceruinum,  
24. Aprilis  
1549.  
f Litteræ  
Montani ad  
Ceruinum,  
ultimo Iunij  
1549.  
g Litteræ  
Farselij ad  
Bertanum,  
26. Aprilis  
1549. in di-  
cto volumi-  
ne Burghes-  
iozum.



1549. finem mors anteuereret, ac proinde, ne quod ad arcendum schisma susceperat, schisma excitaret. Itaque quò longius huiusmodi periculum arceretur, se declarare, cum ex Actis, tum ex aliis certis argumentis, sibi compertum esse, translationem ritè peractam fuisse, eamque tamquam legitimam denuntiare, ab omnibus recipendam, grauissimasque censuras detrectantibus intorquere. Verùm contrà Ceruinus admonuit, cunctatione opus esse, cum res tam occultè peragi non posset, quin pluribus quàm tribus innotesceret: unde timendum erat, ne patefacta perniciosos motus cieret. Præterquam quòd haud solidum animaduertebat fundamentum illius suspicionis, quæ Montanum angebat, rapiebatque in tam violenta consilia; quandoquidem Cæsar ipse in mandatis Madruccio traditis, ac Paulo exhibitis, declarauerat, electionem Pontificis, etiam persistente Concilio, ad Cardinalium collegium pertinere. Quare tum ea de causa, tum quia eius Præsules Tridentini numquam quidquam per Concilij speciem agere ausi fuerant; tum etiam quia ceteri Antistites ac Principes Bononiensem Synodum comprobant, sperandum Cæsari non esse, in eo euentu prætextum vllum creandi in vrbe Tridentina Pontificis, nisi talis, qui à fidelium pietate venerationis & obsequij loco insectationem abominationemque tamquam spurium experiretur: cum ingentia turbarum molimina minimè suscipiantur, vbi nec rerum species suppetit ad ius persuadendum, nec sine hac persuasione robur est ad rem conficiendam.

*b* Litteræ  
Ceruini ad  
Montanum,  
15. Iulij  
1549.

## C A P V T III.

*Noua de Placentiæ rebus agitantur consilia, sed sine fructu.*

**H**OC pacto controuersia de Concilio neque componebatur, nec in apertum disidium ruebat. Sperauit, sicuti diximus, Cæsar Placentiã quasi hamo Pontificem ad sua vota pertrahere: sed ex aduerso, Placentiæ occupatio suspiciosiorem Paulum reddidit ad introspicienda Caroli consilia, adeoque difficilior ad illius postulata. Tamen vel ipsi Pontificis clientes existimabant, eam in illo cautiorem lentitudinem profectam esse à recuperationis cupiditate, suæque familiæ amore, quò iustæ indignationis impetus frangeretur: atque hæc erat Montani opinio, & aliquorum Præsulum Concilij studiosorum. Sed qui apud Pontificem aderant, atque ad penitiora consilia admittebantur, intelligebant, Principibus in contentionibus, quò reuerà prudentes sint, opus esse

vt